

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Augustini in euangelium secundum Iohannem sermones
CXXIII - Cod. Aug. perg. 47**

Augustinus, Aurelius

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Sermo CVII

[urn:nbn:de:bsz:31-64194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-64194)

sicut promissum est doceret omnia; quem priusquam acciperent quo modo seruauerunt eius sermonem. quod de illis quasi fecerint dixit. quando primus eorum ter eum negauit. cum ex ore eius audisset quid futurum esset homini qui eum coram hominibus negauisset. dedit ergo eis uerba sicut dixit. quae dedit ei pater. sed quando illa non foris in auribus sed intus in cordibus spiritaliter acceperunt. tunc uere acceperunt. quia tunc uere cognouerunt. uere autem cognouerunt. quia uere crediderunt. Ipsi autem filio quomodo pater ea uerba dederit. quibus uerbis homo poterit explicare. facilius sane quaestio uideatur. si secundum id quod filius est hominis. accepisse a patre illa uerba creditur. quamquam natus ex uirgine quando & quomodo ea didicerit. quis enarrabit. quando & iam ipsam quae de uirgine facta est generationem eius quis enarrabit. si uero secundum id quod est de patre genitus. patrique coaeternus. accepisse a patre ista uerba cogitatur. nihil ibi temporis cogitur. quasi prius fuerit qui ea non habuerit. atque ut haberet quae non habebat accepit. quoniam quid quid deus pater deo filio dedit. gignendo dedit; ita enim dedit filio pater sine quibus filius esse non possit. sicut ei dedit ut esset; nam quomodo aliter uerbo uerba dare aliqua. in quo ineffabiliter dixit omnia; sed iam quae sequuntur alio sunt expectanda sermone.

**INCIPIT SERMO CVII DE EO QUOD DIXIT. EGO PRO
EIS ROGO NON PRO MUNDO ROGO USQUE AD ID. ETHAEC
LOQUOR IN MUNDO UT HABEANT GLADIUM MEUM
IMPLETUM IN SEMETIPSIS.**

Cum de his quos iam discipulos habebat dominus loqueretur ad patrem. inter alia dixit & iam hoc. Ego pro eis rogo. non pro mundo rogo. sed pro his quos dedisti mihi; mundum uult modo intellegi qui uiuunt secundum concupiscentiam mundi. & non sunt in ea sorte gratiae. ut ab illo eligantur ex mundo. Non itaque pro mundo. sed pro his quos ei pater dedit. rogare se dicit. Per hoc enim quod eos illi pater iam dedit. factum est ut non pertineant ad eum mundum pro quo non rogat. Deinde subiungit. quia tui sunt; neque enim quia pater eos filio dedit. amisit ipse quod dedit. cum adhuc filius sequatur ac dicat. & mea omnia tua sunt & tua mea; ubi satis appareret quomodo unigeniti filii sunt omnia quae sunt patris; per hoc utique. quod & iam ipse deus est & de patre patri est natus aequalis. Non quomodo dictum est uni ex duobus filiis. maiori scilicet. Tunc cum esset semper & omnia mea tua sunt; illud enim dictum est. de his omnibus creaturis quae infra creaturam sanctam rationalem sunt. quae

utiq. subduntur ecclesiae. in qua uniuersa ecclesia & illi duo intellegun-
tur filii maior & minor. cum omnibus angelis sc̄is quibus erimus aequales
in regno xp̄i & d̄i. hoc autem ita dictum est. & mea omnia tua sunt. & tua
mea. ut hic sit & iam ipsa creatura rationalis quae non nisi dō subditur. ut
ei quae infra illam sunt. cuncta subdantur. haec ergo cum sit d̄i patris.
non simul esset & filii nisi patri esset aequalis. De ipsa quippe agebat cum
diceret. Non pro mundo rogo. sed pro his quos dedisti mihi. quia tui sunt.
& mea omnia tua sunt & tua mea; nec fas est ut sc̄i de quibus haec loquu-
tus est cuiusquam sint. nisi eius a quo creata & sc̄ificati sunt. ac per hoc &
omnia quae ipsorum sunt. necesse est ut eius sint cuius & ipsi sunt. Ergo
cum & patris & filii sunt. aequales eos esse demonstrant quorum aequalit̄
sunt. Illud autem quod ait cum de sc̄o sp̄u loqueretur. omnia quae habet
pater mea sunt. propterea dixi. quia de meo accipiet & adnuntiabit uob.
de his dixit quae ad ipsam patris pertinent diuinitatem. in quibus illi est
aequalis. omnia quae habet habendo; neq. enim sp̄s sc̄i de creatura quae
patri est subdita & filio fuerat accepturus quod ait. De meo accipiet. sed
utiq. de patre de quo procedit sp̄s. de quo est natus & filius. & clarificatus
sum inquit in eis. Nunc suam clarificationem tamquam facta sit dicit cū
adhuc esset futura. superius autem a patre poscebat ut fieret; sed utrum
ipsa sit clarificatio de qua dixerat. & nunc clarificime tu pater apud te
me & ipsum claritate quam habui priusquam mundus esset apud te. Itaq.
requirendum est. si enim apud te. quomodo in eis; an cum hoc ipsum inno-
tescit eis ac per ipsos omnibus qui credunt eis testib; suis; possumus plane
sic intellegere dixisse dñm de apostolis. quod clarificatus sit in eis; dicendo
enim iam esse factum. ostendit iam fuisse praedestinatam & certū habe-
ri uoluit quod esset futurum; & iam inquit non sum in mundo. & hi in mun-
do sunt; si horam prorsus illam qua loquebatur ad tendas. utriq. adhuc in
mundo erant & ipse scilicet & illi de quibus hoc dicebat; non enim secundum
proiectum cordis & uitae id accipere possumus uel debemus. ut illi pro-
pterea esse adhuc dicantur in mundo. quod mundana adhuc sapiant.
ille autem iam non esse in mundo sapiendo diuina; posita est. hic enī
unum uerbum quod nos ita intellegere omnino non sinat. quia non ait
& non sum in mundo. sed iam non sum in mundo. per hoc ostendens fuisse
se in mundo. iam non esse. Numquid ergo fas est. ut eum credamus aliqu-
ando mundana sapuisse & ab hoc errore liberatum iam illa non sapere;
Quis tam impio sensu se induerit. restat igitur ut secundum id quod
& iam ipse in mundo prius erat. in mundo se dixerit iam non esse. profecto.

praesentia corporali mundo scilicet absentiam suam iam cito futu-
 ram, illorum autem tardius, per hoc ostendens, quod se iam non hic esse.
 illos autem hic esse dixit, cum & ipse hic & illi adhuc essent, sic loquitur
 est homo congruens hominibus, ut mox loquendi sese habet humanus
 usus, Annon cotidie dicimus, iam non est hic de aliquo quanto tuis abi-
 turo, & maxime hoc de mortuis solent dici, quamquam & ipse dominus tamquam
 praevidens quid lecturos mouere possit & adiecit, & ego ad te uenio, sic ex-
 ponens quodammodo, cur dixerit, iam non sum in mundo, commen-
 dat ergo patri eos quos corporali absentia relicturus est dicens, Pater
 scilicet serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, nempe sicut homo dominum
 rogat pro discipulis suis quos accepit ad deum, sed attende quod sequitur,
 ut sint inquit unum sicut & nos, non ait ut nobiscum sint unum, aut
 minus unum ipsi & nos, sicut unum sumus nos, sed ait, ut sint unum sicut
 & nos ipsi utique, in natura sua sint unum, sicut & nos in nostra unum su-
 mus, quod proculdubio uerum non diceret, nisi secundum hoc diceret
 quod eiusdem naturae dominus est cuius & pater, secundum quod alibi dixit,
 Ego & pater unum sumus, non secundum id quod & iam homo est,
 nam secundum hoc pater maior me est dixit, sed quoniam una eademque
 persona est deus & homo, intellegimus hominem in eo quod rogat, intel-
 legimus autem dominum in eo quod unum sunt & ipse & ille quem rogat, sed
 est adhuc in consequentibus, locus ubi de hac re diligentius disputandum
 est, hic autem sequitur, Cum essem cum eis, ego seruabam eos in nomi-
 ne tuo, me inquit ueniente ad te seruabam eos in nomine tuo, in quo eos
 quando cum eis eram & ipse seruabam, In nomine patris seruabat dis-
 cipulos suos filius homo cum eis humana praesentia constitutus, sed
 & iam pater in nomine filii seruabat, quos in nomine filii praesentes ex au-
 diebat, his quippe idem filius dixerat, Amen amen dico uobis, si quid
 precieritis patrem in nomine meo dabit uobis, neque hoc tam carnaliter
 debemus accipere, uelut uicissim nos seruent pater & filius, amborum
 in nobis custodiendis alternante custodia, quasi succedat alius, quan-
 do discesserit alius, simul enim nos custodiunt pater & filius & spiritus sanctus,
 qui est unus uerus beatus deus, sed scriptura nos non leuat nisi descendat
 ad nos, sicut uerbum caro factum descendit ut leuaretur, non cecidit ut
 iaceret, si descendente cognouimus, cum leuante surgamus, & intel-
 legamus cum ita loquitur, personas eum distinguere, non separare na-
 turas, quando ergo seruabat discipulos suos filius praesentia corpo-
 rali, non expectabat pater ad custodiendum succedere filio discedenti.

sed eos ambo seruabant presencia spiritali. & quando ab eis abstulit filius
praesentiam corporalem tenuit cum patre custodia spiritali. quia
& custodiendos quando filius homo accepit. custodiae paternae non eos
abstulit. & cum pater filio custodiendos dedit. non dedit sine ipso cui de
dit. sed dedit homini filio. non sine dō eodem ipso utiq. filio. Sequitur
ergo filius & dicit. Quos de disti mihi custodiui & nemo ex his perit nisi
filius perditionis. ut scriptura impleatur; filius perditionis dicitur est
traditor xp̄i perditioni praedestinatus secundum scripturam quae de
illo in psalmo centesimo octauo maxime prophatur. Nunc autem in
quit ad te uenio & haec loquor in mundo ut habeant gaudium meum
implēum in semet ipsis. Ecce in mundo loqui se dicit. qui paulo ante
dixerat. iam non sum in mundo; quod cur dixerit. ibi exposuimus.
immo ipsum id exposuisse docuimus; ergo & quia nondum abierat hic
adhuc erat & quia mox fuerat abiturus. hic quodammodo iam non erat
quod sit autem hoc gaudium de quo ait. ut habeant gaudium meum im
plēum in semet ipsis. iam superius expressum est ubi ait. ut sint unum
sicut & nos; hoc gaudium suum. id est a se in eis conlatum in eis dicit impl
endum. propter quod se loquitum dixit in mundo; haec est pax illa &
beatitudo in futuro saeculo. propter quam consequendam temperanter
& iuste & pie uiuendum est in hoc saeculo.

**INCIPIT SERMO CVIII DE EO QUOD DIXIT EGODE DIEIS
SERMONENTUUM ET MUNDUS ODIOS HABUIT. USQ.
AD IO. SINT ET IPSI SĒI IN UERITATE.**

Loquens adhuc dñs ad patrem & orans pro discipulis suis dicit.
Ego dedi eis sermonentuum & mundus odio eos habuit. nondū
id experti fuerant passionibus suis quae illos postea sunt sequuta.
sed mox se suo dicit ista uerbis praeteriti temporis futura praenuntians
Deinde causam subiciens. cur eos oderit mundus. quia non sunt inquit
de mundo sicut & ego non sum de mundo; hoc eis regeneratione conla
tum est. nam generatione de mundo erant. propter quod iam eis dix
erat. ego uos de mundo elegi. Donatum est ergo eis ut sicut ipse. nec
ipsi essent de mundo. eos ipso liberante de mundo; ipse autem de mun
do numquam fuit. quia & iam secundum formam serui de spū scō ipse
natus est de quo illi renati; nam si propterea illi iam non de mundo
quia renati sunt de spū scō. propterea ille numquam de mundo. quia
natus est de spū scō. Non rogo inquit ut tollas eos de mundo. sed ut ser
ues eos ex malo. Adhuc enim necessarium habebant. quamuis iam non